

Alte



22

REGVLAE
 VTRIVSQUE
 IVRIS, TAM CIVILIS
 EXPANDECTIS, QVAM
 CANONICI EX SEXTO DECRETALI-
 um, poëtici numeris siue versibus memo-
 rialibus inclusæ,

per

M. Antonium Mokerum, Col-
 legij Saxonum Erphordiani
 Decanum.



Cum priuilegio imperiali.

Francoforti ad Moenum.

Anno M. D. LXXIIII.



Faint, illegible text at the top of the page, possibly a title or header.

Main body of faint, illegible text, appearing to be several lines of a document or manuscript.



EXIMIO
VIRO SINGU-
LARI HUMANITATE
ET ERUDITIONE PRAE-
STANTI, D. MAGISTRO IVSTO AL-
gesheimo Groningio, legalis Philosophiæ
studiosissimo, tuo amico vt summo,
ita suauissimo S. D.

ALIQVO T iam annis tecum
mihi D. Magister Doctissis-
me summa extitit familiari-
tas, quam sicut tu pro tua
humanitate, & erga me singulari amore
varijs officiorum generibus fouere &
augere semper solitus fuisti: ita ego quo-
que non minùs in hoc laborasse videri
volui, vt vicissim tibi de mea erga te be-
niuolentia & animi propensione, non
obscura possent constare argumenta.
Omninò enim existimaui à meo officio
& persona alienum, amantem & hone-
stè fauentem, non redamare, vel mino-
rem vel omninò nullam eidem declarare

A 2 rare

EPISTOLA

rare animi, ad omne genus honestorum
obsequiorū, promptissimi significatio-
nem. Hac in cura dū versatus fui, haec
nus quæsiui occasiones publicè osten-
dendi quo te amore atque honore, pro-
pter tuam humanitatē & incredibilem
beniuolentiam, homine docto verè di-
gnam, prosequar & cōplectar. Eæ verò
ad animi mei placitum, nondum mihi
oblatæ fuerunt. Quapropter si quid in
hac parte à me peccatum esse intelligis,
id æquanimiter penuriæ occasionum,
quibus vt alia multa, ita quoq; hoc ge-
nus amico gratificandi, aut amorē gra-
tum significandi gubernatur, imputan-
dū & ascribendū meministi. Ne autem
perpetuò in occasionibus officij defe-
rendi & præstandi æquo strictius qua-
rendis, tantum inanib. promissionibus
~~τῶν λόγων ἕνεκα τοῖς ἔργοις σέγγειν ἢ φιλοεῖναι~~
videar, tandē aliquid ex professione Iu-
ridica, cuius tu vt amātissimus, ita quo-
que studiosissimus es, horis succisiuis
& à reliquo meo labore citra aliquod
dispen-

DEDICATORIA. 3

dispendiū subtractis desumfi, & Poëtici-
cis numeris verti, Regulas nimirum Iu-
ris, & Canonici & ciuilibus, quo labore iu-
dicaris ipse. Has itaq; Regulas poëticas
vtriusq; Iuris tuo sub nomine in lucem
prodituras, vt tanquā redamantis mei
animi publicū pignus cōplectaris, per-
amanter rogo. Tuq; vt facis me atq; ali-
os tuos amicos, amare perge, insistens
vestigijs optimi & eximiè docti viri piæ
memoriæ, D. Magistri Ioannis Alges-
heimi Groningi, facultatis Artium De-
cani in Academia Erphordiana, Patru-
tui dilectissimi, ad quem plurimæ extāt
celebrium virorum Epistolæ, præsertim
principis poëtarū Eobani Hefsi, in qui-
bus propter summā humanitatem, pro-
bitatē erga literas & literatos, amorem
aliasq; innumeras virtutes summoperè
prædicatur. Vale. Datæ Erphordia Ca-
lendis Octobris, Anno domini Salua-
toris 1573.

Tuus

M. Antonius Mokerus.

A 3

REGV-

REGVLAE IVRIS CIVILIS, EX

Tit. ff. de Reg. Iur.

Regula 1.

Regulares breuiter quæ sunt enarrat, ut o-
Ex ipso scripto regula iure fluat. (mnis
Regula constituit non ius, ex iure sed illa
Formatur, summa colligiturq; breui.
Traditur hac igitur breuis enarratio rerum,
Casibus et ratio pluribus una datur.
Ipsa suo officio priuatur regula, et uno
In casu est aliquo si vitata perit.

2.

Debet ab officijs ciuilibus esse remota
Femina, nec fungi iudicis officio.
Nulla Magistratum subeat, neq; postulet unquã,
Ac interponat femina nulla fidem.
Non procuratrix non sit quoq; femina tutrix:
Conditio est melior rebus in hisce viri.
Impubes nondum iustos qui venit ad annos
Non ciuile gerat munus et officium.

3.

Hic iuxta solitum morem quid nolle refertur,
Nullare vetitus qui quoq; velle potest.

4.

Velle quod impositum est peragi, non creditur ille,
Qui domini obsequitur vel patris imperio.

Semper

5.
Semper causa alia est habita in contractibus, eius
Qui furit, & sensu non capit id quod agit.
Atq; eius, pubertati qui proximus esse
Fertur pupillus, quiq; scit ore loqui.
Non furiosus enim gerere vlla negotia (sensu
Non complectatur cum peragenda) potest.
Sed tutore queunt authore negotia cuncta
A pupillo (et si nesciat illa) geri.

6.
Heres succedat sibi cum consentit vt alter,
Nudè non heres quod velit esse probat.

7.
Partim intestatum, partim decedere eundem
Testatum nostro iure licere nego.
Idq; in paganis, secus est in milite, forma
Cedere diuisim qui sub vtraq; potest.

8.
Non ciuile potest ius vllum tollere iura
Sanguinis, hæc vt sunt nata, perinde manent.

9.
Semper in obscuris minimū est quodcunq; sequen-
Aptius ad verū, quod propiusq; venit. (dū est

10.
Quisquis sentit onus, quoq; commoda sentiat idem:
Est & vbi damnum, debet ibi esse lucrum.

11.
Non alienari bona quæ cum iure tenemus
Nos, factio nostro non mediante queunt.

REGVLÆ

12.

In Testamentis non significatio debet
Stricta voluntatum, sed magis ampla dari.

13.

Opposita remouens exceptio parte petentem
Vt cœpisse petens non uideare facit.

14.

Absq; die posito contractu quando ligaris
Præsenti ordiris debitor esse die.

15.

Competit ad res cui repetendas actio ademptas,
Hunc censent illas res ut habere suas.

16.

Quando datur precium pro re simulatio facta
Non in contractu uenditionis erit.

17.

Creditur heredis tempus positum esse fauore
In testamentis, illud ubi appositum est.
Sit testatoris nisi mens alia atq; uoluntas,
De quocunq; alio qui quoq; debet idem est.

18.

Legatum quod habet nobis, morientibus heres
Eius habent per nos commoda parta patres.
Hoc est imperio sub quorum uiuimus, illud
Atq; aliter multo si stipulemur erit.
Dum stipulamur enim sub conditione lucratur
Omnimodò domino quo regimurq; patri.
Conditio quanuis sit purificata, benignus
Exemit dominus nos ubi iure suo.

Conditio

IVRIS CIVILIS.

19.

Conditio quæ sit sciat hic qui contrahit, eius
Quo cum contraxit, nosse putatur eam.
Hæredi secus est, quoniam non contrahit ille
Sponte voluntatis proprietate suæ.

§.

Non testatoris quibus est aduersa voluntas
His exceptio erit noxia nulla doli.

20.

In dubium quoties est significatio tracta
Libertatis ei iura fauere solent.

21.

Est cui plus licitum minus huic quoq, iure licebit,
Inq, negatiuis est tibi iuris idem.

22.

Seruilis nunquam poterit persona ligari
Ciuilis nexus non ligat ullus eam.

§.

Quicquid in arbitrium procuratoris heri ve
Fertur, id arbitrium dico boni esse viri.

23.

Contractu quodam fertur dolus esse receptus
Duntaxat, quodam culpa dolusq, simul
Quando precario habet, vel depositarius est quis,
Ius de tabe doli quod teneatur ait.
Vendita, mandatum, dotis datio, atq, locatum,
Suscipiunt culpam suscipiuntq, dolum.
Sic quoq, cum socio nexus, communio rerum,
In plus conuentum sit nisi siue minus.

A 5

Nanq,

REGVLÆ

Namq; in principio quicquid conuenerit, illud
Seruandum, sicut pacta decebit, erit.
Sic conuentio enim legem contractibus addit,
Pacta remittendi sint nisi facta doli.

24.

Non in iure, sed in facto cuiusq; videtur,
Quatenus intersit protinus esse situm.

25.

Est in personam minus utilis actio, plus est
In rem cautela commoditatis item.

26.

Quod facit inuito quis, id ignorante vel ipso
Non presente, magis perficere omne potest.

27.

Non priuatorum pactis sunt publica iura
Permutanda, nihil pactio demit eis.
Ius licet et pacti conuentio uertere causas,
Istius quod nos obligat omne queat.
Nam per Prætozem modus introductus agendi,
Et per ius, pacto non violandus erit.
Inter eos primùm nisi tunc conuenerit vltro
Actio, cum solitis cæperit ire modis.

28.

Donans conuentus (Pius ut rescripsit) in illud
Damnetur tantùm quod facere ipse potest.

29.

Principiò fuerit vitiosum, quicquid id ipsum
Successu validum temporis esse nequit.

Consen-

IVRIS CIVILIS.

30.

Consensus thalamos facit absoluitq; iugales,
Et non inducit copula carnis eos.

31.

Est verum quod non stipulatio pactaq; factum
Infectum faciant, tollere siue queant.
Quod non possibile est, huius stipulatio nulla est,
Illud complecti nullaq; pacta queunt.
Scilicet ut faciat factum vel ut actio possit
Vtilis hinc vlla conditione dari.

32.

Serui pro nullis civili iure putantur,
De naturali iure tamen secus est.
Namq; tibi aequales homines, equaliter omnes,
Si ius naturæ respiciatur, erunt.

33.

Quod suscepturus lucri censeatur is, à quo
Vel petitur, vel qui conueniendo petit.
Durior est in eo petitoris causa, perinde
Conditio melior res et habentis erit.

34.

In stipulando alijs, ut et in contractibus, acta
Attendi debent, suntq; notanda magis.
Si non apparet, quid in his contractibus actum
Sit, consuetudo est respicienda loci.
Quid fieri debet verò cum mos regionis
(Est siquidem varius) non manifestus erit?
In dubijs minimum tunc noueris esse sequendum.
Ad minimū summa est tūc redigenda quod est.
Naturæ

REGVLÆ

35.

*Naturæ nibilest adeò conforme, ligatum
Soluerè quam quid eo quo fuit antè modo.
Verborum nexus uerbis ita tollitur omnis
Consensus nexum quod fuit ante secat.*

36.

*Semiscet rebus qui non spectantibus ad se,
Hunc omni culpa iura carere negant.*

37.

*Non damnare potest, qui non absoluere, nanq,
Est eadem ratio siue in utroq, modus.*

38.

*Non ex delicto defuncti poscitur hæres
Ad pœnam, lucrum nec parat inde sibi.*

39.

*Omnibus in causis profactis accipiuntur
Hæc, quæ ne fierent est ubi causa metus.*

40.

*Prodigi est hominis furiosi nulla voluntas,
Ergò curator substituendus erit.*

41.

*Actori debet nulla ratione licere
Non est permissum quod licitum uereis.*

§.

*Rebus in obscuris damnum vitare uolenti
Plusquàm quærenti lucra fauere decet.*

42.

*Est in defuncti iusta ignorantia rebus
Hæres præ tendit, quam, uel habere potest.*

Atq,

IVRIS CIVILIS.

7

Atq; fideiussor poterit pretendere eandem
Non minus ac haeres conditione pari.
Hæc sunt vera quidem qui conveniuntur in illis,
Sicut iura docent, est in agente secus.
Esse etenim certi debebunt semper agentes,
Et prius explorent omnia quam quid agant.

43.

Ex his nemo negant qui se debere vetatur
Setutari aliter lex nisi certa vetet.

§.

Concurrunt quoties eiusdem nomine plures
Unica sit toties actio certa rei.

44.

Actio in heredem toties de rebus, ademptus
Quas est, successor proprietate, datur.
Conventus quoties iustis rationibus haeres
Est ex defuncti cognitione doli.

45.

Emtio, depositum, pignus, vel verba precandi,
Iusq; locandi in re non propria esse queunt.

§.

Non privatorum conventio derogat illis
Iuribus, resus que publica iura vocat.

46.

Cogitur à quoquam solventi reddere nemo
Exactum pæne nomine quicquid erit.

47.

Non ex consilijs poterit persona teneri,
Quæ fraude atq; doli calliditate carent.

Quod

REGVLÆ

Quòd si calliditas, dolus intercesserit, atq;
Competit ob uetitos actio iusta dolos.

48.

Quicquid ab ardenti calidæ feruore fit iræ,
Non est iudicio deficiente ratum.

Non igitur coniunx ea diuertisse uidetur,
Tempore post abitum est quando reuersa breui.

§.

Ille mei socij socius quicumq; uidetur,
Est etiam socius non meus inde statim.

49.

Actio non unquam dominis acquiritur tollis,
Aut alijs, serui ex fraude uel alterius.

50.

Ad quem res spectat uel pertinet, ille carebit
Tunc culpa, cum scit, nec prohibere potest.

51.

Nemo suum propriū capere illa uidetur ad usum,
Vt quæ iura alijs restituantur, agunt.

52.

Non tantum latitans sese defendere nolle
Dicitur, at presens qui quoq; uelle negat.
Non minus et hic se defendere nolle uidetur,
Qui persistendo: non ubi possit, agit.

53.

Soluerit ignorans indebita quando, reposci
Aut repeti tali conditione queunt.
Irreuocabiliter dare uel donasse uidetur
Consultò, qui uel mente sciente dedit.

Nemo

IVRIS CIVILIS.

54.

*Nemo alium transferre potest plus iuris in vllum,
In se quam proprij iuris habere videt.*

55.

*Ille dolo non (quod fecit) fecisse videtur,
Vsum quem proprio iure fuisse patet.*

56.

*Mitiùs in dubijs par est præferre, retenta
Verborum nuda proprietate prius.*

57.

*Quod semel exactum est, debentes liberat illud,
Et bona non patitur bis numerare fides.*

58.

*Non solet ex causis pœnalibus actio contra
Patrem de gnati reꝝ, bonisqꝫ dari.*

59.

*Esse potestatis censetur iuris et hæres
Eiusdem, cuius mortuus ipse fuit.*

60.

*Is qui non prohibet pro se intercedere, semper
Mandatum tacitè creditur ille dare.*

*Sed rata si quis habet quæ gesta fuere, tenetur
Actio mandati iustaqꝫ, stringit eum.*

61.

*Vicino inuito, quo ius non fertur habere,
Non ubi obest, vetitū est non reparare domū.*

62.

*κληρονομία quid est? an non successio in omne
Ius, quod defunctus tempore mortis habet.*

Not

REGVLÆ

63.

Non ad iudicium qui prouocat esse videtur
Causa mora, si non fraus malus estq, dolus.

64.

More ad ea aptari duntaxat iura recepto
Quæ rarò fiunt eueniuntq, solent.

65.

Illæ solet propriè natura sophismatis esse,
Vt uas frè que sunt candida nigra parat.
Atque ea fit breuibus mutatio callida uerbis,
Vt sic pro ueris falsa probanda putes.

66.

Vt Marcellus ait, quem iusta exceptio tutum
Desinit ulterius debitor esse, facit.

67.

Sermo duos quoties sensus facit, ille gerendas
Aptior ad res qui suscipiatur, erit.

68.

Persona extincta quoque priuilegia cessant,
Sed que cause insunt concomitantur eam.

69.

Vnicuique suo licitum est obstare fauori
Inuito possunt nec bona dona dari.

70.

Demandare alijs gladij pœna uè minoris
Est quodcunque datum ius sibi nemo potest.

71.

Frustrus et utilitas est non incommoda rerum,
Quod dare possimus pignoris hæc loca.

Expedi-

IVRIS CIVILIS.

9

72.

Expediuntur in his aliquo non cuncta libello,
Cognitio causæ sub quibus exigitur.

73.

Quò tutela redivit, successio eòque bonorum
Peruenit, hinc hæres femina demta manet.

§.

Nemo potest alijs tutorem imponere, quam quem
Hæres inter, tempore mortis habet.

§.

Vi quadam factum vel vi censetur id actum,
Quod facit aut quod quis quãdo vetatur, agit.

§.

Quod quis habens lites habiturum sene reuoluens
Fecit, clam factum dicitur id per eum.

§.

In testamentis quæ sunt ita scripta, videri
Vt sensu nequeant, irrita prorsus erunt.

§.

Et paciscendo pactis, dicendoque legem
Et stipulando alijs nemo cauere potest.

74.

Conditio inferri non debet ab altero iniqua,
Nemo grauari odio debet & alterius.

75.

Non quis in alterius damnum mutare quod ipse
Consilium dederat proculeratue, potest.

B

Absol-

REGVLÆ

76.

Absolui nequeunt nisi certa scientia subsit
Iudicio ex animi quæ peragenda vides.

77.

Actus legitimi quidam sunt conditionem
Qui nunquam, certum suscipiuntq; diem
Vt sunt tutoris datio, serui optio, quæq;
His iam præmissis equiparare potes:
Hi tamen accipiunt tacitè (quos diximus) actus,
Quæ vitiant positu si manifesta forent
Personæ acceptum si nanq; feratur eidem
Promissum, quæ sub conditione dedit.
Acceptillando quicquam intelligitur ille
Egisse, est nexus cum data conditio,
Hanc ubi complexa est acceptillatio verbis
Protinus expressis irritus actus erit.

78.

Est attendendum semper generaliter illud,
Lis de fraude mala quando agitata fuit.
Non quid possideat fraudatus qui fuit actor,
Sed per quem potuit non quid habere reum.

79.

Non ex euentu tantùm ciuilia fraudem
Sed quoq; consilio iura notare solent.

80.

Derogat ut generi species: ita præua' et illud
Directum ad speciem quod fuit est & erit.

Non

81.

*Non præsumentur contractibus addita causa
Tollendi dubij, verba nocere tibi.*

82.

*Non cogente quod est commissum iure videtur
Donatum gratis, illud et esse datum.*

83.

*Non bona censetur vel res amittere, quisquis
Non habet, aut non res propria cuius erat.*

84.

*Est alij plus quam debetur, quando solutum
Cuius quæ repeti portio possit, abest,
Censeri prorsus res tota indebita debet,
Mutuus ac nexus qui fuit antè, manet.
Debet natura, dare per ius gentium oportet
Quem, cuius sequimur nil remorante fidem,*

85.

*Casibus in dubijs doti faueatur, et illis
Quas doti causis æquiparare solent.
Quæ semel utiliter sunt condita siue statuta,
Durabunt nullis impedienda modis.
Extiterit casus licet à quo non potuerunt
Incipere hæc quæ sunt antè statuta semel,
Natura aut iuris dubitatio quando moratur
Æquum, decretis rem moderare bonis.*

86.

*Qui contestatur litem, non conditionis
Deterioris erit, sed melioris erit.*

B

2

Is qui

REGVLÆ

87.

Is qui persequitur, meliorem reddere causam,
Reddere peiorem non reputatur eam.

88.

Non ubi quid petitur, quoq, nõ agnoscitur unquã
Esse ibi cunctantis protinus ulla mora.

89.

Legitimusque diu tam non admittitur heres
Testamenta diu quã ualida esse queunt.

90.

Omnibus in rebus presertim in iure uidendum
Æquius id quid sit, quodque rigore uacet.

91.

Defertur quoties gemino successio iure,
Iure nouo exploso quod uetus est superest.

92.

Non instrumentum vitiant errata, nec ullis
Est qui scribentis partibus error obest.

93.

Filius imperio patris qui subiacet ille
Iuxta iura nihil proprietatis habet.

94.

Non aduertuntur quecunq, superflua, abundane
Et que scripturas non vitiare solent.

95.

Debitor existens quando defenditur, illum
In dubium nemo soluere posse uocat.

EST

96.

*Est in contextu dubio sententia semper
Eius qui dixit respicienda viri.*

97.

*Abripit aut aufert ea deportatio sola,
Ad fiscum tantum quae bona perueniunt.*

98.

*Extiterit quando ratio par causaque lucri,
Praefertur merito tempore qui prior est.*

99.

*Ignorans quantum persolvere debeat, ille
Reuera non est improbus atque malus.*

100.

*Soluantur rursus quoque per contraria iura,
Quae per contractum iura ligare queunt.*

101.

*Audiri debet, quoque sexagesimo adesse
Qui primo coepit venerit atque die.
Mensium ubi per ius est mentio facta duorum,
Sic Antoninus sic quoque Diuus ait.*

102.

*Quisquis agit vel qui fecit praetore vetante,
Edictum, contra quod dedit eius agit.*

103.

*Vnicuique domus sua tutum praebet asylum,
Aedibus ex proprijs nemo trahendus erit.*

104.

*In geminis alibi fuerit si infamia causis,
Debentis si alibi summaque maior erit,*

B 3

Sit

REGVLÆ

Sil potior ratio fama, sed ubi equiparantur
Famosa apparet iudicia esse secus.

Summa rei quavis tunc dispar esse videtur,
Pro paribus tamen hæc accipienda scias.

105.

Est ubi cognitio cause, mox prætor ibidem
Qui cognoscat eam debet et esse simul.

106.

Libertas res est non compensanda metallo,
Non precium quod ei præualet, esse potest.

107.

Ætio cum seruis non est ciuilitæ ulla,
Obligat hinc nullus non quoque nexus eos.

108.

Ferène in iudicijs pœnalibus omnibus ætas,
Mitior ut fiat pœna luenda, facit.

109.

Nec crimen patitur, nec qua ratione tenetur
Is, qui non prohibet cum prohibere nequit.

110.

In toto semper pars est inclusa, quod esse
Constat plus, in eo est, id quoq, quod minus est.

Rerum alienarum censetur idoneus esse
Quisquam ex promissor quando satis dederit.

Non intelligitur qui non peruenit ad annos
Pupillus iusto tempore posse pati.

Sufficit alterutrum fieri cum verba fuerunt
Non coniuucta, secus copula facta docet.

Tunt

IVRIS CIVILIS.

110

*Tunc succurrendum mulieribus ilico, non cum
Decipiunt, sed cum decipiuntur, erit.*

111.

*Qui pubertati pupillus proximus est, hic
Furandi atque doli dicitur esse capax.
Actio pœnalis delicti nomine nunquam
Transit in hæredes, mors quia tollit eam.*

112.

*Actio per quem non habeatur, et excipiendo
An confutetur quis, nihil intererit.*

113.

*Sicut inest verè toti pars quælibet, omni
Apposito generi sic speciale subest.*

114.

*Inspici in obscuris id quod plerunque fit, et quod
Est vero propius proximiusq, solet.*

115.

*Ereptus nexu, ut non amplius inde ligetur,
Rem cœpisse quidem creditur ille suam.
Excipiendo potest stipulatus qui remoueri
Cœpisse aduerti non meritò ille potest.*

116.

*Tam cum consensu nil quam violentia pugnat
Atq, metus, quem non velle probare decet.
Non capitur rectè sequitur qui publica iura,
Consentire errans non reputatur homo.*

117.

*Qualibet in causa possessorii iure honorum
Prætori hæredis creditur esse loco.*

B 4

Res

REGVLÆ

118.

*Res alienari permittens creditor, inde
Dimittit pignus quod fuit antè datum.*

119.

*Pluribus ex causis eadem res nostra negatur,
Deberi ex causis pluribus illa potest.*

120.

*Vendere res alia est, et consentire videtur,
Vendenti esse aliud sub ratione pari.
Quod per maiorem sit partem tendit ad omnes,
Quod pars maior agit curia tota id agit.
Cui sit legatus fundus plus iuris habere
Quam testatorem viuit ubi ille, negant.*

121.

*Intererat cuius compleri conditionem,
Si facit impleri quò minus illa queat,
Illam censerì civili iure receptum est,
Tunc pro completa conditione statim.
Ad libertates legataque ducitur illud,
Et simul heredes instituuntur ubi,
Committi exemplis stipulatio debet et illis,
Cum compromissor ne peragatur obest.*

122.

*Illà statim non sunt tibi in argumenta trahenda
Quæ recipi imposta lege necesse fuit.*

123.

*Ius concedendi ius vendendiq; videtur
Cui ius donandi competit esse, datum.*

Trans-

124.

Transmitti heredes poenale probatur in omnes
Iudicium, acceptum si semel illud erit.

125.

Res alienandi fuerit cui plena potestas,
Consentire potest quis cum alienat eam.
Qui donare nequit donanti posse negatur
Consentire, ratum sic sit ut id quod agit.

126.

Qui sine mandatis defendit res aliorum
Is locuples nullo tempore habetur homo.

127.

Non data censentur vel habentur tempore in illo
Quo dantur, quæ non accipientis erunt.
Iudicis ex iussu quæ quis facit, illa videtur
(Cum sit parendum) conficere absque dolo.

128.

Est capienda quidem nobis occasio, præbet
Quæ responsa suo more benigna magis.
Cum sit in obscuro quod factum dicitur esse,
Affecta interpres mens sit ut ipsa, vide.

129.

Cum per quos alios faciens, facere ipse putetur,
Ille dedit damnum, qui dare damna iubet.
Nulla penes culpa est hunc, cui parere necesse est,
Et quicquid pendet non erit hoc quasi sit.

130.

Ipsæ recepturus quia sit, nemo inde ligatur,
Ex alio, oblata præstiterit quod ope.

B. 5 in Iudicis

REGVLÆ

131.

*Iudicis esse ratum factum non illud habetur,
Non quod ad officium pertinet usque suum.*

132.

*Contra vendentem est in venditione notandum
Ambiguum pactum quod fuit appositum.
Ambiguum verò sic accipe sicq; notato
Salua sit actoris res et ut incolumis.*

133.

*Non extorquendum est totum, damnatur in illud
Quando persona, quod numerare queunt,
Ipsorum ratio sed erit clementer habenda,
Omnes ne planè surripiantur opes.*

§.

*Verbum restituas fuerit si in lege repertum
Tunc erit ut fructus restituantur, opus.*

§.

*In promittendis quod constituere duobus
Iura reis, nocua est propria cuiq; mora.*

§.

*Is quicumque petit quod restituisse decebat
Non facere immeritò dicitur ille dolo.*

134.

*Qui poterit facere ut benè conditionibus æquis
Pareat, ille statim posse videtur idem.*

§.

*Illæ recusari per te non posse videntur,
Quæ si fortè velis non bona habere potes.*

Libera

135.

*Libera in officijs ea quæ persona ministrat,
His fungifervus iure vetatur homo.*

§.

*Conditionis homo melioris denegor, à quo
In me ius transit quam meus autor erat.*

136.

*Ius sit permissum proprio sibi dicere nulli
Ausu, multiplicis ne sit origo mali.*

137.

*In ius alterius quisquis successerit illi,
Ipsius uti etiam iure perinde licet.*

§.

*Ignorans causam cur poscere debeat omnem,
Is facere omnino creditur absque dolo.*

138.

*Quando subsistit non causa potissima per se
Sæpè nec illa locum quæ comitantur habent.*

139.

*Quando manumittentis adest obscura voluntas
Tunc libertati iura favere iubent.*

140.

*Alterius iussu quicquid persolvitur, æquè
Ac si soluisset protinus ipse, valet.*

141.

*Ius testamenti perit et tunc solvitur omne
Hæredum bona cum nemo relicta subit.*

Vo

REGVLÆ

142.

*Vt proprium fiat non vlla ligatio, præstat
Hoc quod reuera nullius esse potest.*

143.

*Mutandum nihil est facilè ex solennibus, at se
Æqua magis quædam subueniatur, erunt.*

144.

*Est impossibilis non vlla ligatio facti,
Quæ fieri possunt illa ligare queunt.*

145.

*Iusta metus vani non excusatio, mentem
Non in constantem qui cadit esse potest.*

146.

*Quo per naturam rerum persolvere possis,
A te nil poterit tempus id ante peti.
Soluendi adiicitur tempus tibi quando ligato,
Tempore quid petitur non nisi præterito.*

147.

*Cenferi à quoquam benè discessisse relinquens
Prægnatam uxorem non sine prole potest.*

148.

*In testamentis duo si pugnare sciuntur,
Tunc horum neutrum sciveris esse ratum.*

149.

*Pupillus nec velle nec is quoq; nolle putatur,
Author coniunctus sit nisi tutor ei.
Hoc authore geri siquidem tutore necesse est,
Ex animi debet iudicio quod agi.*

Quicquid

150.

Quicquid de rebus nostris euincitur, illud
In nostris nunquam dicitur esse bonis.

151.

Iuxta Neratium quæ Privilegia vivis
Sunt data, defunctis non adhibere licet.
Principis officium tamen est et plena potestas,
Vim Privilegij significare dati.

152.

Singula ea hæredes debent solida atque tenentur,
In partes quæ non dividi agiue queunt.

§.

Iustius haud minus est quam tutius omnia, constat
Quæ magis in dubijs esse benigna sequi.

153.

Sic iura hæredum censentur, tempore mortis
Hæredes ac si continuo extiterint.

154.

Ex longis gradibus qui succedendo fit hæres,
Defuncto est hæres non minus ac propior.

155.

Non obsunt tacita, obsunt quæ expresseris, insunt
Expresse effectus haud tacitoque pares.

156.

Quædam personæ sunt privilegia, quæ non
Postea ad hæredem pervolitare queunt.
Quædam sunt causæ quæ transmittuntur ad omnes
Hæredes, sicut iure probatur idem.

Non

REGVLÆ

157.

*Non aduertantur solùm in contractibus illa
Quæ liceant, sed quæ sunt quoq, honesta similib.*

158.

*Non fraus pupillo dolus et tutoris iniquus
Inque interdictis in reliquisque nocet.*

159.

*Ille Magistratus quisquis parere recusat
Imperio, prorsus fraude carere nequit.*

160.

*Seruus non usucapit ullo tempore, nanque
Possessor non cum possideatur, erit.*

161.

*A quo duntaxat poterit possessio omitti,
A se possessas non alienat opes.*

162.

*Heredi post se non emolumenta relinquit
Plura, sibi proprio nomine quàm quis habet.*

163.

*Non faciens facienda sibi, facere ille videtur
Contra ea quæ prorsus nec facit, et nec agit,
Non facienda sibi sed qui facit, ille videtur
Non facere hoc quicquid iussus erat facere.*

164.

*Omnibus in rebus libertas digna fauore est,
Hæc inter causas est numerata pias.*

165.

*De proprijs agere est licitum, nec iure vetatur,
Ast agere alterius nomine nemo potest.*

Actibus

§.

*Actibus est tribus aut cum consuetudo duobus
Firmata, oppositus non necat actus eam.*

166.

*Cum non exigitur vox sed presentia, mutus
Respondens compos est ubi mentis, erit.
In surdo est id idem, quoque respondere videtur,
Est loco is absentis qui furiosus homo est.*

167.

*Quam contra positis in causa actoribus, ipsis
Plus potiusque, reis omnia iura fauent.*

168.

*Nemo dicendus vel habendus prædo nefandus
Pro rebus precium qui numeravit, erit.*

§.

*Est acquisitus cui liber, ditior ille
Non factus dici constitui ve potest.*

§.

*Quæsitum fuerit de lucro quando duorum
Tunc multò melior causa tenentis erit.*

169.

*Actio in heredem quantum peruenit ad illum
Si per prætorem iudiciū ve datur,
Sufficit est ad eum momento quando vel uno
Defuncti illicito res quasi ducta dolo.*

170.

*In causa potior possessor habetur eadem,
Ipsius et melior conditio esse solet,*

Esse

REGVLÆ

§.

*Esse loco dicunt illos hæredis habendos,
Qui ius succedunt qui vel in omne bonum.*

171.

*Qui repetit proprium vel quicquid pertinet ad se.
Creditor, illicito nil facit ipse dolo.*

§.

*Præcipua causa non consistente, nec illa
Inde locum prorsus quæ comitantur habent.*

172.

*Non aliam in factio vel re consumere eadem.
Actio pœnalis præcipue una potest.*

173.

*Ipsò damnandus pro possessore videtur,
Possessor quisquis desijt esse dolo.*

174.

*Annumeratur iners quoniam ignorantia culpa.
Mox affirmari non benè nota nocet.*

175.

*Conditio melior per seruos nostra parari,
Deterior verò non fieri illa potest.*

176.

*Non fraudatur ubi nihil à debente requirit
Creditor, at quando diminuuntur opes.*

§.

*Per peccata potest meliorem reddere praua
Conditionem vllò tempore nemo suam.*

Possibile

177.

Possibile ad dandum quod non est, illud habetur
 Pro non adiecto non positoque statim.



178.

Quantum quod verè existit, tantum bona præstat
 Et possessori nil remorante fides.

179.

Authore accepit quisquis bona iudice semper
 Possessor fidei dicitur ille bonæ.

180.

ἡλικρονομῖα omnis quantumvis postea aditur,
 Tempore cum mortis continuatur ea.

§.

Præteriti sceleris delicti siue patrati
 Non ex post facto crescere pœna potest.

181.

Iudicijs inclusa semel quæ tempore vel cum
 Morte perire potest actio salua manet.

§.

Nunquam perfectè cuiusq, videtur id esse,
 Ex causa auferri quod minuiq, potest.

182.

Qui propter Rempublicam adest, absentia debet
 Non huic aut alijs illa nocere viris.

183.

Mox etiam non sunt ea in argumenta trahenda,
 Quæ contra leges esse recepta vides.

C

Prò

REGVLÆ

§.

*Pro folido hæredes duo non simul esse valebunt,
Res plenè dominos non habet una duos.*

184.

*Qui tacet omninò non creditur ille fateri,
Sed tamen est verum non quòd & ipse neget.*

185.

*Morum pariter quoque successoribus obstat,
Qui contraxerunt obstitit id quod eis.*

186.

*Non quodcunq; licet simul esse videtur honestū,
Tempora contractus in stipulando vide.*

187.

*Nemo fraudat eos qui consentire videntur
Tempore contractus quique scienda sciunt.*

188.

*Quæ quis agit seruus, nequeunt prodesse, vel usus
Liberto factò postea habere suos.*

189.

*Omnibus effectus cuius prodesse putatur,
Pertinet ad cunctos conditione pari.*

190.

*Ex qua persona quis lucrum percipit eius
Factum præstabit, siue probabit idem.*

191.

*Conditio semper par est quid habentis, & eius
Qui dolo id effecit quò minus obtineat.*

Nemo

192.

*Nemo facit damnum nisi qui perfecit illud,
Quod non ut faceret ius habuisse potest.*

193.

*Vt iuratur hoc iure ut quicquid vi feceris, aut sit
Vis priuata aut vis publica digna malis.*

§.

*Deiecit, qui vel iussit mandata dedit ve
Qui ve habuit factum mente probante ratum.*

§.

*Per quos prestatur dolus in contractibus, hæres
In solidum solito iure ligatus erit.*

194.

*Qui modus obstringit modus et nos liberat idem,
Ut sit in aduersum res reuoluta locum.
Cum quibus acquirō per eos amitto vicissim
In partem oppositam re recidente, modos.
Acquiri amitti ve potest possessio nulla
Hæc animis fiat corporibus ve nisi.*

195.

*Cum par delictum cognoscitur esse duorum
Semper qui potior tunc oneratur, erit.
Possessoris erit melior quoque causa, petentis
Ut fieri solitum est de dolo ubi excipitur.
Non petitori etenim datur hæc replicatio iure
Aut in ea actum sit si quoque fraude rei.*

§.

*Permitti poenam petere illi debet, in ipsam
Commisæ culpæ qui ratione cadit.*

C. 2

Factum

REGVLÆ

196.

*Factum cuiq; suum non aduersatur, obesse
Non ullis debet siue nocere modis.*

§.

*Vtensiure suo, vel agens processibus æquis,
Absq; dolo vel vi quæ facit illa facit.*

§.

*Mitior in causis debet pœnalibus esse
Sensus, plus quæ sunt æqua rigore valent.*

197.

*Cogitur inuitus nemo defendere, cogi
Vt procurator sit quoq; nemo potest.*

§.

*Actio cui datur, huic exceptio competit ullis
Ac ipsi non est illa neganda modis.*

§.

*Id nocuum poterit non successoribus esse
His quib; succedunt non nocuum quod erat.*

§.

*Quam fuit authoris circa sit causa petendum
Ac defendendum non in emente secus.*

§.

*Quod conferre bonum vel quod præstare iubemur
Illud vt inuito non tribuatur, erit.*

198.

*In quibus atrocis sceleris non culpa videtur
Ignosci seruis semper in hisce potest.*

Semper

§.

*Semper habendus is est pro possessore scienter,
 Qui rem possessam cessat habere dolo.
 Per quos præstatur dolus in contractibus hæres
 Obstrictus remanet quilibet in solidum.*

199.

*Cùm nihil inquiri vitio sine quiuerit, illa
 Tunc potius quæ sunt elige iniqua minus.*

200.

*Ex testamento qui quid proficiscitur, id fit,
 Principium vitio quando carere liquet.*

201.

*Absque periculo omni fit definitio nulla
 In iure, everti quæ facile illa potest.*

202.

*Non intelligitur damnum sentire quod ultrò
 Quis damnum culpa sentit habet à sua.*

203.

*Omninò minus est quando nuda actio habetur
 Res multò melius quando tenetur, erit.*

204.

*Euelli à nobis quæ possunt, sæpè perinde
 Ac si huius non sint conditionis, erunt:
 Sic ut abire queant, fisco quodcunque ligasti
 Hoc alienare ac hoc reuocare potes.*

205.

*Alterius damno nemo ditescere debet,
 Hoc ius naturæ præcipit atque docet.*

C 3

Res

REG. IVR. CIVILIS.

206.

*Res de qua lata est sententia iudicis, et cum
Non appellandum est vera manere solet.*

207.

*Is certè nunquam cessasse videtur habere
Vlo quem constat non habuisse die.*

208.

*Servilis morti status equiparatur et omnis
Servus defunctis assimilandus erit.*

209.

*Non in principio si testamenta valebunt
Postea non tractu temporis illa valent.*

210.

*Ille Rei poterit non causa publica abesse
Est qui servilis conditionis homo.*

FINIS.



REGV-

20

REGVLAE IVRIS
CANONICI IN
SEXTO.

1.

Tradita Canonicè nisi sit præbenda tenerè
A quoquam licitè legitimèq; nequit.

2.

Præscribit nunquam fidei possessor iniquæ,
Et qui non fraudis calliditate caret.

3.

Irrita censetur præscriptio firma nec unquam
Res præscripta nisi possideatur, erit.

4.

Non delinquenti possunt peccata remitti
Ablatum nisi quod restituatur, erat.

5.

Delicti veniam confert correctio mentis
Peccati causa quæ gemit atq; dolet.

6.

Ad res quæ fieri nequeunt est nemo ligatus,
Non impossibiles res quia iura iubent.

7.

Quæ sunt personæ data priuilegia cessant,
Cum persona perit, quam bonitate iuuant.

8.

Qui semel est malus hic semper præsumitur esse
In rebus reliquis improbitate malus.

C 4 Ipsius



REGVLÆ

9.
Ipsius est quicquid non certo nomine gestum
Hoc aliquando ratum non quis habere potest.

10.
Hæc pro mandatis vel iussis semper habentur
Quæ rata habes, et sunt nomine gesta tuo.

11.
Conuento sed non aëtori iura fauere
Partis ubi obscurum est ius utriusq, solent.

12.
Non personarum prætextu acceptio quouis
Est in iudicijs iudici habenda bono.

13.
Excusat facti, non ignorantia iuris
Nam quemuis hominem iura tenere decet.

14.
Successor iustam causam ignorantie habere
Creditur, ut qui res nesciat alterius.

15.
Restrictis odijs fauor est laxandus et æquo
Aspera quæ fuerint sunt minuenda modo.

16.
Ius speciale dedit quo cum specialia Princeps
Munera, vim plenam debet habere suam.

17.
Id quod concessit certæ indulgentia legis,
Nunquam pro libito tollere debet homo.

Not

IVRIS CANONICI.

21

18.

Non in principio quicquid consistit id ipsum
Non firmum tractu temporis esse potest.

19.

Qui sese factis alienis miscet is omni
Non penitus culpæ suspitione caret.

20.

Pluribus est vetitus sese defendere contra
Hostem nemo modis dummodò fraude carent.

21.

Quod placuit semel hoc non displicuisse valebit
Lata semel iudex non reuocare potest.

22.

Non odio alterius poterit quis iure grauari
Alterius nec ei pœna luenda venit.

23.

Causa nisi subsit sine culpa nemo (sit insons
Quandoquidem) pœnis afficiendus erit.

24.

Iudicis ex iussu, cui nos parere necesse est
Quæ facimus, fieri dicimus absque dolo.

25.

Actorum parti mora obest partiq; reorum
Vnicuique sua est perniciofa mora.

26.

Non ex officio, proprio vel munere fecit
Quæ iudex, ipso non ea iura valent.

C 5

Fit



REGVLÆ

27.

*Fit dolus aut præceptus iniuria nulla scienti
Et qui consensu comprobat acta suo.*

28.

*Upsi communi quæ sunt contraria iuri
Omnia in exemplum non decet ista trahi.*

29.

*Consensu debent à cunctis illa probari
Quæ tangunt omnes conditione pari.*

30.

*Semper in obscuris minimum scito esse sequendum
Quod vero simile est quando videre nequis.*

31.

*Qui certus fuit, hic non certificetur oportet
Is qui non sciuit certificandus erit.*

32.

*Id quodcunq; reis licitum non esse probatur,
Illud & actori iura licere negant.*

33.

*Quod quis consilium dat vel proponit, id ipsum
In damnum alterius non variare potest.*

34.

*Ius generale quod est tollunt specialia iura
Nam species generi derogat ipsa suo.*

35.

*Plus id quod minus est semper complectitur in se
Maiori inclusa est sic quoq; summa minor.*

Attinet

36.

*Attinet ad damnum quantum possessor habetur,
Is qui possessor desijt esse dolo.*

37.

*Vtile conueniens per inutile non vitatur,
Vtile defectum supplet inutilium.*

38.

*Impugnare fuit primò quas fortiter ausus
Ex illis rebus commoda nemo ferat.*

39.

*Cui quicquam vetitum fuerit simul illa vetantur
Ex illo poterunt quæ quoque cuncta sequi.*

40.

*Diffio pluralis numero est contenta duorum
Incertus numerus significatq; duos.*

41.

*Non adscribendum est huic qui non impedit, ista
Si non quæ per eum sunt facienda, facit.*

42.

*Id quod præcipuum fuit accessoria debent
Huius naturam vim propriamq; sequi.*

43.

*Is quicumq; tacet quoque consentire videtur,
Nec quid cùm contrà dicere possit ait.*

44.

*Velle negare tacens quisquam vel velle fateri
Non censetur, inest inter utrunque locus.*

Rebut

REGVLÆ

45.

*Rebus in obscuris est consuetudo videnda
Proximus veris idq̄ quod esse solet.*

46.

*Quo prædecessor fuit usus, competit uti
Iure, in ius quisquis transijt alterius.*

47.

*Inson præsumi solet ignorantia facti
Notitia est nullis quando probata modis.*

48.

*Alterius damno debet ditescere nemo,
Non sunt iniustus lucra paranda dolis.*

49.

*Æquior in pœnis debet sententia ferri
Plus etenim quæ sunt æqua rigore valent.*

50.

*Actus legitimi nequeunt admittere quandam
Certam cum iuncta conditione diem.*

51.

*Amplius humanos non conuertuntur ad usus,
Sunt quæcunque semel sacra dicata Deo.*

52.

*Impedit hoc non vel non hoc obstacula præstat
Quod non effectum sumere iure potest.*

53.

*Est cui plus licitum minus huic licitum esse videtur
Cui maiora licent, huic quoque parua licent.*

Est

54.

*Est potior primus, præfertur & ille secundo
Tempore qui prior est, est quoque iure prior.*

55.

*Qui non sentit onus, neq; commoda sentiat ille,
Sed qui sentit onus, commoda & ille ferat.*

56.

*In re communi socij de iure vetantis
Conditio melior, quam facientis erit.*

57.

*Ambiguum iudex contra illum exponere debet
Perspicuè poterat qui manifesta loqui.*

58.

*Iuramenta nihil firmant nequeuntq; ligare,
Sunt contra mores præstita quando bonos.*

59.

*Qui petit id coram quod oportet iudice eundem
Reddere conuictum fraude doloq; facit.*

60.

*Hunc quemcunque potest exceptio iusta tueri
Legitimè, in nulla dicitur esse mora.*

61.

*Gratis quæ sunt homini concessa favore
Ipsius in damnum non retrahenda scias.*

62.

*Ex his consilijs quæ sunt data nemo tenetur
Omninò careant dummodò fraude mala.*

A quo

REGVLÆ

63.

*A quo proposita est cuiusdam exceptio facti
Contra hic actorem se negat esse reum.*

64.

*Quod contra ius fit nequit hoc consistere, verum
Id planè infectis æquivalere solet.*

65.

*In causa culpaq; pari, qui possidet, eius
Omninò melior conditio esse solet.*

66.

*Conditio impletur, sit quò minùs illa repleta,
Non ubi stat per eum cuius id intererat.*

67.

*Concessum non est alieno nomine quicquid
Nomine non proprio iura licere volunt.*

68.

*Per se quisque potest solùm præstare quod, ipsum
Per quemdam ac alium non minùs ille potest.*

69.

*Non promissa ligant mala quæ sunt, expedit omni
Atque datam in turpi re violare fidem.*

70.

*Debito in alternatiuo est electio solùm
Debentis, solui est ac satis alterutrum.*

71.

*Admittenda modis magis est exceptio iustis
His quibus in primis actio iure licet.*

Alterius

72.

*Alterius quod quis per opem fecisse probatur
Non secùs hoc ac si fecerit ipse valet.*

73.

*Legitimè factum (casus licet accidat obstans
Pòst) hinc infectum non tamen esse decet.*

74.

*Concessum est vni quicquid bonitate fauoris
Debet in exemplum non aliquando trahi.*

75.

*Non seruanda fides huic est qui postulat illam
Nec tamen ipse suo pectore seruat eam.*

76.

*Propter delictum personæ Ecclesia damna
Non vnquam debet perniciofa pati.*

77.

*Quisquis in alterius succedit honore, decebit
Hunc ferre alterius conditionis onus.*

78.

*A nobis non est id in argumenta trahendum
Concedi quicquid iure necesse fuit.*

79.

*Quàm sibi conueniens fuerit trasmittere nemo
Plùs alijs iuris vel dare nemo potest.*

80.

*In toto pars est contenta, refertur in actu
Sicut quod toto contineatur iter,*

Non

REG. IVR. CANONICI.

81.

*Non generalis habet sub se concessio, quisquam
Non concessurus quod speciale fuit.*

82.

*Mercatur contra qui iura, videtur habere
Ille bonam nulla conditione fidem.*

83.

*Quod semel exactum est, iterum nemo exigat illud
Id fieri patitur non bona nanq, fides.*

84.

*Est quæcunque via vetitus prestare quis una
Non alia recipi debet ad illa via.*

85.

*Contractus firmat si quæ conventio facta est
Ex pacto leges subijciuntur eis.*

86.

*Imputet hoc sibi non alijs sentire videtur
Quod culpæ damnum flebile quisq, sua.*

87.

*Qui sunt infames grauium sublimis honorum
His nunquam debet porta patere viris.*

88.

*Qui legis mentem non respicit, eius at, urget
Verba bonis fraudem legibus ille facit.*

FINIS.

EX TYPOGRAPHEO

HAERED. EGENOLPH.

ANNO M. D. LXXIIII.

30 22
15 24
AB: 746 9 73


ULB Halle

3

005 507 359









Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------



ol-
E
E
IS
AM
LI-

22

